

Cur non peregrinentur incogniti? An forte, si agnoscerentur, tantum boni expectent, an plus mali? Qui multum & sæpe homines & terras obeunt, multa dicuntur hospitia experiri, pauca candoris foedera, varias blanditias, nullas fere amicitias, ita vere dicendas: Si hoc etiam illis, qui ortu, nomine & officio agnosci non refugiunt, contingit, nulla est causa, cur se quis totum aperiat & quantus qualis sit, omnibus absq; discrimine ebuccinetur: Dicunt ne tam sacræ quam prophetiæ literæ, nos omnes in hoc mundo esse peregrinos, ac cœlum appeti debere pro patria? Nil itaque mirum, si peregrinus peregrinum non agnoscat: Peregrinantur mortales etiam in natali solo, proprio agro & paterna domo, respectu veræ & permanentis patriæ, suntque congentiles omnes: Et e contra in patria viuunt, etiam si orbem terrenum pererrēt, munda: Ciues & exteri in nullo differunt: Vnde eandem viam esse, alii dicunt ex hac vita migrandi in aliam siue bonam, siue malam, vnde cunque instituat: Cur itaque non se absconderent à mentibus illorum,

rum,